



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Iustitia Et Iure ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus**

**Lessius, Leonardus**

**Antverpiæ, 1632**

9 Vtrum vsus sortium sit licitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](#)

rere, signum est leuis & temperatae complexionis. Si graui onera ferre aut in angustis locis, vbi vix se mouere queat, versari, signum est, vim animalem multitudinem humorum grauari. Si ea quæ ad libidinem pertinent, signum est redundantia spermati. Si versari in ceano, simo, indicium est abundare humoribus putridis, aut intestinorum excrementis. Sic qui somniarunt crux effectum sibi lapideum, paulo post præter opinionem omnium factus est crux illo paralyticus. Sic etiam Galenus eum, qui somniarunt se in cisterna plena sanguine constitutum, conicit plethora sanguinis laborare. Vide hoc & plura apud illum in Libello de praefagiis somniorum.

Huc pertinet somnium illud, quo aliquod spectrum irruere & opprimere hominem videretur, quod *equus* & *tritula* Medici vocant, Latinum incubum. hoc enim prouenit a craasso retroque vapore in cerebrum irruente, & vias spirituum animalium intercipiente, vt docet Galenus lib. 3. de locis malè affectis, cap. 4. Itaque signum est craassi & melancholici sanguinis, & cruditatum, & esse periculum epilepsie, si quis crebro patiatur. hoc genus vocatur *phantasma*, Cicero *vism* vocat.

Dico Quartum, Quando somnia prouenient ex præuiis curis vel cogitationibus, nihil de futuris significant, sed solum insinuant suam causam. hæc vocantur propriæ *invenia*, id est, *in somnia*.

Ex diëis constat, quinque genera somniorum distingui posse, *præaculum*, *visionem*, *sommum*, *in somnum*, *phantasma*. de quibus fusè agit Macrobius ex sententia veterum, lib. 1. In somnum Scipionis, sed quæ diximus, ad nostrū institutum sufficiunt.

### D V B I T A T I O I X.

*Vtrum vñsus sortium sic licitus.*

D. Thomas art. 8.

57  
Sortes.

Tria for-  
tium ge-  
nera.

1. Sortes  
diuisoriae.

In quibus  
habeant  
locum.

**N**otandum Primò, Sortes dici quando aliquid eo fine agitur ut eius euenuit spacio, innotescat aliquid occultum, v. g. quid cui competere debeat, ad hoc autem necessarium est, vt sortibus sua significatio imponatur, siue vt præcedat aliqua conuentio inter partes, (si inter plures aguntur) vel homini secum, quid quæque significare, quam vim habere debeat.

Sunt autem tres sortium species ex fine petite, *diuisoriae*, *consultroria*, *diminutoriae*. *Diuisoriae* sunt, quando indicio sortiū queritur quid cui tribendum, siue illud sit res possessa, siue honor, siue pena, siue functio aliqua. *Consultroria*, quando inquiritur sortibus diuinum consilium, vt sciatur in negotio obscurio quid agendum. *Diminutoriae* sunt, quando per eas inquiritur de futuris eventis.

Notandum Secundò, Dictionem sortium posse expectari vel à calo, vel à casu, vel à Deo, vel à dæmoni. His positis,

Dico Primò, Sortes diuisoriae licita sunt, si euetus expectetur à casu, vel ex peculiari Dei prouidentia: non tamen in rebus omnibus licita sunt, sed in plerisque. Primò, in rebus externis, & alius quæ aliter commodè non possunt distribui. Sic hereditates, & alia bona communia expissimè forte dividuntur. Huc pertinet contraetus sponsonis & sortium, qui frequens est inter homines, con-

ficiunt enim partes ut eius sit res vel elecio, cui fors & casus fuerit. Secundò, In functionibus, vbi de honore vel periculo agitur; vt quando oppidum innadendum, forte inter milites diuertarum nationum decidi soler, quæ nativo prior inuidere debeat. Si D. Augustinus epift. 180. scribit forte eligendū sacerdotem, qui tempore pestis & perfectionis maneat in oppido, & fidelibus res sacras administret. Tertio, In dirimendis litibus, maximè de rebus secularibus, L. Si cum ambo, n. de iudicis. Quartò, In pœnis, vt cum duo vel plures sunt rei mortis, & Princeps vt clementiam in scâncienda disciplina adhibeat, vult alios punire, alii ignorare. Denique quoiescumque non appareat ratio cur alter alteri in aliquo commode vel incommodo debeat præferri. Vide D. August. lib. 1. de doctrina Christiana cap. 28.

Officia tamen, etiam si facultaria sint, regulariter non sunt forte distribuenda, sed conferenda maximè idoneis, quos diligens inquisitio & examen rationis, non casus & cæca fors ostendit. nihilominus si plures sint bene idonei & ferè pares, poterit res sorti committi. Hoc tamen permisum non est in electionibus ad beneficia ecclesiastica, vt patet cap. Ecclesia, de fortigie, sub finem. Fortasse tamen ad item beneficiariam, quando ratio commodior iniri non potest, terminandam, sortes non essent improbandæ; quia non est mens Ecclesiæ vt lites diu prothrahantur, & alia lute naturæ id non solum est licitum, sed etiam optimum confitum, nec Ecclesia id vñquam prohibuit.

Dices, Sait forte electus est, 1. Reg. 10. & Matthias Apostolus, Act. 1.

59  
Objetio.  
Sain, Mat-  
thias.  
Respons.

Respondeo, Non esse dubitandum quin Saul ita electus sit inspiratione diuina: nam electioni eius præter Samuel, qui illum ante vxerat in insula Dei, vnde etiam sortes certissimè à Deo ita erant dirigenda vt ipsum essent confirmatur. Idem de Matthia Apostolo: quod colligi potest tum ex mirabili illa exhortatione Petri, quæ tota erat à Spiritu sancto; tum ex communis orationis omnium, qua petebant vt Deus ostenderet quem elegisset. Quidam tamen ex textu Graeco putant Mathiam non sortibus, sed suffragiis electum, sed manifestè repugnat texus Gracis & Latinus. nō enim Graecæ est, ἐδωκεν Ἰησούς αὐτοῖς, dederunt eis suffragia: sed, ἐδωκεν οὐ τοὺς αὐτοῖς, dederunt sortes eis, vt Interpres veritatis: vnde sequitur, ἡ ἑταῖρος ὁ ἀληθινὸς Μαθίας, & cecidit fors super Mathiam. Nec obstat quod subiungitur, οὐ οὐγράποτεσ, quod per suffragia annumeratum indicat; quia nihil aliud significatur quam ipsum communis decreto vel cōfessu, postquam viderunt sortem in illum cecidisse, vnde dicim Apostolis consummatum; quod nihil aliud fuit, quam indicium sortium communis suffragio vel decreto fuisse approbatum. Accedit, quod sicut alij Apostoli immediate à Christo, non suffragio humano, electi erant; sic etiam decuile ut eligeretur is, qui in locum Iudea succederet. Denique magna exterius apparebat paritas; vnde nō facile erat humano iudicio alterum alteri præferre. Dionysius Areopagita lib. de ecclesiastica hierar. cap. 5. parte 3. putat sortem appellari à Scriptura (quando dicitur, cecidit fors super Mathiam) diuinum quoddam donum, insinuans illi cœm, quem Deus elegisset; fieri enim potest vt Deus forte mox approbauerit, collato d'ono prophetæ vel sapientiæ, vel vt sortes miraculosè omnibus aduententibus dire-

dixerit. non enim negari potest quin verè sortes miserint; cùm exp̄sē dicatur, dederunt sortes illis, quod de tali dono intelligi non potest. Item, cecidit sors super Mathiam.

60 Dico Secundò, Consultoria sortes regulariter sunt illicitæ, nisi quando humanum consilium non sufficit, vel nisi Deus inspiret illis vtenduntur. ratio est, quia sine necessitate velle ut Deus suam voluntatem peculiari modo manifestet, pertinet ad Dei tentationē, vt D. Thomas ait. Deinde Deus non promisit se has sortes temperaturum: ergo vanum est inducere in animum, hanc Dei esse voluntatē, quam sortes indicant: imò etiam est periculose, quia facile dæmon se immiscebit & hominem decipiet. Vnde meritò hic vsus reprehenditur à D. Augustino epistola 119. cap. 20. & à Leone IV. ad Episcopos Britanniarū; habetur c. 7. Sortes. 26. quāl. 5. Sortes, inquit, quibus canctas vestris discriminati Provincias, quas Patres damnauerunt, nihil aliud quam diminutiones & maleficia esse determinamus, quamobrem volumus illas omnino damnari, & inter Christianos ultra nolumus nominari, & ne exerceantur, anathematis interdicto prohibemus.

*Si defisi humanum consilium.* Quando tamen humanum consilium non sufficit, licitum est has sortes adhibere, cum bona spe, fore à Deo singulari prouidentia moderandas, iuxta illud Proverbiū 16. Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur. Hoc tamen faciendum cum magna reuerentia, & exhibita precatione ut Deus adest & eas regere dignetur. Huc referri possunt exempla quedam superius posita de sortitione in oppugnatione oppidi, & in diligendo la cordote tempore pecciti, vel perfusionis, & similia: si tamen eo fine sortes iacentur ut diuina voluntas exquiratur; secūs si euentus à casu expectetur, nemo enim casuum consilii, itaque tunc ad divinatas referuntur. Item si diuina inspiratione mittuntur; sicut dictum est de electione Saulis & S. Mathiae Apostoli, quò etiam pertinet exemplū, quod habetur Ios. 7. vbi indicio sortitum inuenitus est Achan, qui de anathemate aliquid sibi usurpaverat. Simili modo deprehensus est Ionas à nauis, Iona 1. & quamvis hi ex inspiratione diuina id non facerent, nec euentum à Deo, sed à demonibus expectarent, Deus tamen propter Ionam eas moderatus est.

61 Dico Tertiò, Diuinatōrū sortes omnino sunt illicitæ: vnde prohibentur cap. 1. de sortilegiis, & 26. q. 5. cap. Sortes, cap. Peruenit. 18. cap. Si quis Clericus, 3. cap. Contra. 18. cap. Episcopi. 12. qui bus locis prohibent sortilegia, sicut alia diuinationes & incantationes.

Ratio est, quia vel expectatur eatum moderatio à Deo, vel à caelo, vel à casu, vel à dæmons: atqñ non est expectanda à Deo, quia non est probabile, Deum illas ad præsignanda futura vel occulta aperienda temperaturum: nusquam enim id promisit, & euentus sapissimè contrarium ostendit. Denique nulla est necessitas ordinariē tam peculiari concursus; vnde vanum est sine alio fundamento illum expectare. Nec à caelo, quia hoc esset actiones humanas à caelo suspendere, & fato subiicare: non enim possunt sortes euentus futuri vi cælorum & astrorum accommodari, nisi vel vtrique à caelo necessariò proueniant, vel euentus ipsi caelo sint præcogniti, vt sortes iis poslit aptare: quo modo Deus futura præsignat vel occulta

declarare per sortes potest. Non etiam à casu moderatio earum expectatur; quia vt sortes casu sic vel sic cadunt, nihil præsignare possunt: ergo expectatur à dæmons: ac proinde dæmoni tribuitur futurorum prænotio, & ipse tacito quodam pacto & consensu inuocatur; tum vt sortes regat, tum vt effectum præsignatum procuret. Quod autem Agrippa lib. 2. Occultæ philosophia cap. 54. contendit, in anima humana esse sufficientem potestatem ad sortes dirigendas, præfertim si accedit celestis opportunitas, id est, congrua constellatio; vanum est, & vnum ex magia fundamentis, vt infra dicimus c. 44. dub. 2.

## D V B I T A T I O X.

Quæ & quotuplices sint vanæ obserua-  
tiones, & quale in his peccatum.

D. Thomas quæst. 69.

Vana obseruationes dicuntur, cùm aliqua 62  
fiant vel adhibentur ad aliquem effectum, *Vana obseruationes.* ad quem nec à Deo nec à natura ullam vim ha-  
bent: item cùm ex consideratione aliquius even-  
tus fortuiti conicitur quis aliquid prosperi vel ad-  
uersi, & inde actiones suas moderatur. Hærum tres  
sunt species, ad quas omnes reduci possunt, vt ex  
D. Thoma colligitur, *ars notoria, obseruantia san-  
tarum, & obseruantia eneuntium.* *Ars notoria* est *Ars noto-  
ratio* quadam consequenti scientiam infusam *ria.*  
per quadam ieunia, inspectiones figurarum, &  
similia adminicula vana & inefficacia.

Este hoc peccatum mortale, confitatur; quia saltem *Este peccatum.*  
tacitè inuocatur diabolus, eiique attribuitur pot-  
estas infundendi animæ subito habitus scientiarū;  
quod solius esse Dei docet D. Augustinus lib. 10.  
de ciuit. c. 9. ex testimonio ipsius Porphyrij. Cùm  
enīm hæ cærimonie non habeat illam vim à Deo,  
(si enim eam haberent, Ecclesia id non ignoraret)  
nec à natura rerum quæ adhibentur, nec ab altris;  
consequens est, effectum non posse expectari nisi  
à diabolo; cui proinde tribuitur potestas scientias  
animæ infundendi.

Nec obstat quod aliqui repente videantur ope-  
rà diaboli scientiam Scripturarum cōsecuti, quod  
experiencia quotidiana confirmat apud Anabapti-  
stas, sumpto bolo detestabilis illius cente; quia  
diabolus illos occupat, & per os illorum legit,  
Scripturas profert, & disputat; cosqué ita demen-  
tat, vt se hæc omnia noscēt putent; quomodo qui-  
dam mania laborantes videntur sibi valde sapien-  
tes, & omnia scire: cuius signum est, quod redun-  
tes ad fidem Catholicam, recedente spiritu ne-  
quam, sint rudes, vt erant ante hæretim.

*Obseruantia sanitatum* est, quando adhibentur 63  
aliqua verba, vel alia signa, aut cærimonie inane Carimonias  
ad hominum vel aliorum animalium curandos  
morbos, fistendum sanguinem, mitigandos dolores,  
ad conseruandam vitam vel valetudinem, ad  
se præstandū immutem contra lassiones hostium  
vel casus fortuitos, & similia. Huc item pertinet  
cùm adhibentur quidem medicamenta naturalia;  
tamē iis aliqua friuola adiunguntur tamquam  
necessaria. Eodem etiam pertinent omnia peri-  
animata, amuleta, brevia, inuolucra, reliqua, ver-  
ba sacra, preces descriptæ, quæ gestatur à quibus-  
dam

l i i